



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Biennii Peripatetici**

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

**Kretz, Marquard**

**Herbipoli, 1749**

Articul. II. De Essentia discursus formalis; prout est tertia mentis operatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)



## ARTICULUS II.

*De Essentia Discursûs formalis, prout est  
tertia mentis operatio.*

540. **N**ota. Discursus spectari potest, vel ut artefactum logicum, vel ut tertia mentis operatio. Consideratus ut *Artefactum* ad regulas Logicæ elaboratum, in quo una cognitio ex alia deducitur, consistit tam in præmissis, quàm in conclusione; quia sic acceptus est certa extremorum dispositio cum termino medio, quæ dispositio præfata omnia includit. Si verò consideretur ut *est tertia mentis operatio*, de ejus essentia non una omnium est sententia. Alii enim cum Barone docent, Discursum sic acceptum in solis præmissis, sive in solo antecedente consistere. Verùm hi discursum non satis distinguunt à Judicio. Alii sequuntur Huradum, essentiam Discursûs in præmissis simul, & conclusione statuentem. Alii denique cum Comptono sentiunt, qui tradit, quòd essentia discursûs formaliter accepti, & ut à aliis duabus mentis operationibus distinguitur, consistat in solâ conclusione. Cum his

541. *Dico.* Discursus formaliter acceptus, prout est tertia mentis operatio consistit in solâ conclusione formaliter tali, sive in speciali illa tendentia per particulam *Ergo* expressa, quæ denotat, me non simpliciter assentiri, vel dissentire objecto, sed ex vi actuum præcedentium, & propter connexionem objecti conclusionis cum objecto præmissarum. *Ratio est:*

Di-



Discursus formaliter talis, & ut est operatio tertia à prima, & secunda mentis operatione distincta est iudicium illativum; sed sola conclusio formalis, quia talis est iudicium illativum; ergo. *Confir.* Sola conclusio, ut à præmissis distincta est, est actus aliquis intellectus; sed non est apprehensio, neque iudicium simplex, quia specialem habet tendendi modum; ergo est discursus, alia enim actuum intellectus species non datur.

542. *Obj. 1.* Præmissæ ingrediuntur definitionem discursus; ergo sunt ejus partes. *R. D. ant.* Ingrediuntur in recto, & tanquam actus vel potentia. *N.* in obliquo, & tanquam essentialia requisita, seu connotata extrinseca. *C.* Eodem modo distingue hæc argumenta: Discursus nequit concipi sine præmissis. Præmissis sublatis non habetur essentia discursus, & quæ sunt similia. *Inst. 1.* Discursus bene sic defini potest: Est antecedens, & consequens; ergo. *R. D. ant.* Si discursus *integraliter*, & *causaliter* spectetur, sive ut totum quoddam intentionale ex antecedente & consequente confurgens. *C.* si essentialiter, & formaliter sumatur pro illatione unius ex alio. *N.* *Inst. 2.* Si præmissæ non constituent essentialiter discursum, ergo non differt à iudicio; quia pariter erit iudicium. *R. N. Sequel. Rationem D.* Erit iudicium simpliciter. *N.* erit iudicium illativum. *C.* Iudicium autem illativum distinguitur intrinsecè per specialem tendentiam suam à iudicio simpliciter tali, extrinsecè autem distinguitur per præmissas,



missas, sicut relatio per terminum. *Inst. 3.* Syllogismus probabilis à demonstrativo, simplex à complexo differt ratione præmissarum; ergo discursus in his consistit formaliter intrinsecè. *R. D. ant.* Differt *causaliter*, *effectivè*, & *extrinsecè* ratione præmissarum. *C. formaliter*, *intrinsecè*. *N.* Intrinsecè differt ratione propriæ entitatis prout hæc dicit ordinem ad præmissas; sicut una relatio differt ab altera intrinsecè per ordinem ad terminum, extrinsecè autem per ipsum terminum.

543. *Obj. 2.* Syllogismus constituitur per certam dispositionem medii, & utriusque extremi; ergo non in sola conclusione consistit discursus. *R. D. ant.* ut est artefactum logicum. *C.* ut est tertia mentis operatio. *N.* *Inst. 1.* Syllogismus ut est artefactum logicum, etiam est tertia mentis operatio; ergo. *R. N. ant.* Est nempe aliquid plus: nam complectitur duo iudicia simpliciter talia, & unum iudicium illativum. *Inst. 2.* Quod facit scire, est Syllogismus saltem partialiter; sed præmissæ faciunt scire; ergo. *R. D. maj.* Quod facit scire *formaliter*. *C.* Quod facit scire *causaliter* tantum. *N.* Præmissæ faciunt tantum scire causaliter, h. e. præmissæ non faciunt, ut sciam formaliter identitatem duorum inter se; sed faciunt tantum, ut possim elicere conclusionem, per quam formaliter identitatem hanc sciam; igitur non faciunt scire formaliter *immediatè*, sed *mediatè* solum, & per conclusionem, quam causant.